

1.5.91. 19.

Dissertatio Inauguralis Juridica,
De
**OMMISSIONE
NOCIVA,**

Quam

*Ex Decreto Magnifici I^Ctorum Ordinis
IN ACADEMIA PATRIA,*

Sub Præsidio

VIRI EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI
ATQUE CONSULTISSIMI

**DN. JOH. CHRISTIANI
PETERSEN,**

J. U. D. & Professoris Celeberrimi, Practici Fe-
licissimi, Hodieque Decani Spectabilissimi,
PATRONI atque FAUTORIS pie colendi

PRO LICENTIA

Summos in Jure Honores ac Privilegia
rite & solenniter capessendi

Anno MDCCXXVII die 26. Aug.

Publico Eruditorum examini submittit


JOH. PETR. MÖLLER.

Rostochiensis.

ROSTOCHII, typis Jo. Jacob. Adleri, SEREN. PRINC.
& ACAD. Typograph.

miss. jur. civ.

0381,36



Q. D. B. V.

CAP. I.

Tractans Generalia.

SUMMARIA.

Ingressio. §. 1. Descriptio Omissionis nocivæ. §. 2. Descriptiones quædam enarruntur de dolo & culpa. §. 3.

§. I.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit, sic Paulus in L. 121. ff. de R. f. loquitur de damno, quod attrahere nobis possimus, non faciendo; quæ facienda sunt. Et certe maximum in jure nostro incurrit negligentia sæpius damnum, quotiescumque enim quis speciali nexu ad faciendum alteri obligatur, toties *omissio illius nociva* est, nec non maxime sibi nocet quis omittendo illud, ad quod certa quadam Lege adstringitur.

A 2

§. II.

Ingressio.

§. II.

Descriptio.

Cum itaque impræsentiarum differendum nobis de omissione nociva, statim in primordio descriptionem illius subjicimus. Est autem nobis: *Negligentia illius actus, quem omisso non oportet vel non expedit.* Institutum autem nostrum nunc non est, anxie inhærere natalibus verborum, eorum etymologiam, synonymiam, & homonymiam perscrutando, omnibus enim satis liquidum, omissionem ab *omittendo, nocivum à nocendo dictum.* Legi potest de hac voce Excell. Dn. Præsid. *diss. de osculo nocivo c. I. §. 5.* ibique allegata *diss. B. Stryk, de civilitate nociva. c. I. §. 18. § 19.*

§. III.

Distinctiones quædam.

Multa hic etiam in antecessum adhuc mone-
ri possent de *culpa*, omittens enim aliquid, quod
facere deberet, culpam ingreditur. Facile autem
quis videbit, nobis rem non esse cum illo genere
culpæ, quod in *committendo* consistit, cuius exempl.
vid. in §. 3. 7. § 8. *J. ad. L. Aquil. L. 132. ff. de R. J.*
sed cum illo, quod consistit in *omittendo* vid. Struv.
Diss. de dolo & culpa tb. 59. Varias DD. distin-
ctiones culparum, in *latam, levem & levissimam* ad-
ducere, & sic omissiones *cōmūnis, mediocris, & exas-*
ētissimæ diligentiae investigare possemus; ingentes
de his fluctuationes DD. & inanes speculatio-
nes amplum nobis hic præberent campum excur-
rendi, sed in totum subscribimus sententiæ Excell.
Stryck, qui in *U. M. ff. tit. Commodati §. 12. in f. De hac*
materia

materia ita differit: Totam discussionem (materiæ“ nempe culparum, earumque distinctionum) in“ praxi ad æquum & bonum revocandam & ita arbitrio“ Judicis prudentis relinqvendam esse arbitror, qui secun-“ dum circumstantias negotii, prout hoc vel majorem vel“ minorem diligentiam exigit, & personæ conditionem,“ prout in suis negotiis diligens esse solet, hac de re æsti“ mabit, ut recte Struvius in *Jurispr. Lib. 3. tit. 3. §. 16.* “ Exactissime etiam his satisfecerunt B. Ludovici in *Doctrina ff. & Thomasius in diff. de examine difficiliſ materiæ de præſtatione culparum.* Id saltim addo, quod allegata Pauli Regula applicetur etiam in jure nostro, ut procedat quoque in *dolo* siquidem & ille fit tam *committendo* quam *omittendo*. Licet enim Wefenbec. in Paratitl. ad *ff. tit. de dolo malo. n. 4.* dicat: *dolum in Committendo versari*; attamen & *dolum omittendo* docet *l. 199. ff. de R. J. ubi Ja- volenus ait: Non potest dolo carere, qui imperio Ma- gistratus non paruit.* Et hinc sunt illa Edicta Prætoria: *si quis jus dicenti non obtemperaverit; si quis in jus vocatus non ierit.* Et Generaliter dolus præsumitur contra eum, qui non facit, quod facere tenetur. *L. si procuratorem 8. §. 9. ff. Mandati L do- lus 44. Eod. adde Menochium de R. J. lib. 2. Ce. nt. 3. Cas. 208. n. 35. sqq. Borcholten. ad Regulas Juris. p. 300.* Magis autem de ipsa re, quam verbis & terminis solliciti ad ipsam tractationem progredimur, & ex hoc eano Juris pro viribus, & quantum temporis angustia permittit, demonstrabimus atque probabimus theſin nostram: *Omissionem multis Casibus in Ju- re esse nocivam.*

A 3

CAP. II.

CAP. II.

Speciales recensem casus atque exempla omissionis nocivæ ex Jure Civili & Praxi.

SUMMARIA.

Demonstratur omissio nociva prohibitionis. §. 1. Matris in petendis Tutor. §. 2 Tutoris in inventarii confectione. §. 3. Hæredis in non confiendo inventario. §. 4. Testatoris in non observando omnes solennitates. §. 5. Insinuationis in donatione. §. 6. Liberorum in non requirendo Consensum parentum in nuptiis §. 7. Creditorum aliquid omittentium in fraudem creditorum. §. 8

§. I.

Nocivam demonstrat omissionem prohibitonis. Obvenit omnium primo *omissio illa nociva prohibitionis*, cum nempe, qui prohibere debet & potest, aliquid non fieri, non tamen prohibet, teneatur arg. L. 50. ff. de R. J. L. 109. ibid. L. 45. pr. ff. ad L. Aquil.

L. Aquil. inibique Brunnem. jung *L. 60. ff. de R. J.* sic Dominus, non prohibens servum delinquere, nec castigans Servum, approbasse delictum videtur. *Mev. P. 7. Dec. 228. n. 8.* Jubere enim videtur, qui, cum posset, peccare non vetat Gothofr. *ad L. 50. ff. de R. J. lit. e.* Plura hac de re vid. ap. Brunnem. *ad L. 4. ff. de noxal. act.* sic Dominus in solidum tenetur & ipse videtur occidisse, si servus sciente & non prohibente Domino occiderit *L. 2. d. tit.*, sola autem scientia non sufficit. *L. 3. ibid.* ut & *L. 45. ff. ad. L. Aquil.* Sic falsi criminis reus est, qui, cum prohibere poterat, ne auro falsi & vitii quid addatur, neque nummi adulterentur, non prohibuit. *L. 9. §. 1. ff. ad. L. Cornel.* *de falsis.* inibique Brunnem. *In L. 33. versic.* Nam et si. *ff. Loc. Cond.* evidens admodum invenimus Exemplum nocivæ hujus omissionis, conductor enim juxta d.l. habet actionem ad interesse contra locatorem, qui non prohibuit impedientem, secus si propter vim majorem vel potentiam prohibere nequeat, ubi saltem ad remissionem pensionis locator obligatur,

§. II.

Non minus incurrit damnum *mater* negligens liberis tutorem petere, expellitur enim à legitima filii hereditate, quasi existens indigna accipere hereditatem legitimam, tot. Tit. ff. *Qui. pet. Tut.* & non solum, si plane nullos petierit, hanc patitur poenam, sed & si non idoneos. *L. 2. §. 32. sq. ff. ad SCrl. Tertull.* & prioribus excusatis vel rejectis alios non petierit *L. 2. §. 2. ff. qui pet. tut.* Restituitur quidem *mater*

*Matris in
petendis Tu-
toribus.*

mater adversus hoc delictum, *juxta L. f. C.* si adversus delictum. ob minorenitatem, consistit nempe in omissione, quoad delicta autem omissionis minor restituitur. Stryk. *ad Laut. tit. ff.* qui pet. Tut. voc. restituitur. Matres autem hodie hanc facile evitare possunt negligentiam, dum non amplius petere præcise debent Tutores, sed, testamentarii non existentibus, ipsi, si velint, tutelam gerere queunt. *Nov. 118. c. 5.* Haec enus dicta omissio non matri solum imputatur, sed & omnibus aliis Succedentibus deneganda est successio, si tutorem non petierint. *L. 10. C. de legit. hered.*

§. III.

*Tutoris in
inventarii
confectione.*

Et ipse tutor omittens inventarii Confectionem in adeunda tutela, quasi suspectus ab officio removendus atque puniendus, *juxta L. fin. §. I. C. arb. tut.* dolo enim id fecisse videtur, & tenetur in id, quod pupilli interest. *L. 7. pr. ff. de admin. & peric. tut.* abstinentia itaque tutori ab omnibus actibus pro pupillo gerendis, non suscipienda administratio bonorum, rerum autem, quæ tempore depereunt, distractio à Tute & ante inventarii confectionem non est negligenda, suum enim alias periculum facit. *L. 7. §. I. ff. de admin. & peric. tut.*

§. IV.

*Hæredis in
non Confici-
endo inven-
tario.*

Non minori periculo se exponunt hæredes adeuntes hereditatem absque beneficio inventarii. Salutare enim admodum hoc est pro heredibus remedium, cum alias, quippe in omne jus succedentes

dentes defuncti, ad omnia etiam solvenda debita, etiamsi massam hereditatis exsuperent, obstricti sunt & in solidum tenentur. L. 22. §. 12. Cod. de Jur. Deliberand. Multum sibi consulunt hac præcautione, ne maxime interdum lœdantur in aditione hæreditatis obæratae. Dissentiunt quidem inter se DD. annon moribus hodiernis sufficeret heredis jurata designatio loco inventarii? & in Saxonia heredem etiam omisso inventario ultra vires hereditarias non teneri refert Carpz. P. 3. C. 33. def. 8. Struv. S. J. C. ex. 34. th. 33. Præjudicio confirmatur hæc sententia à Schiltero. Ex. 38. §. 151. Mevius etiam de' *jurata specif.* c. 3. §. 6. à rigore juris putat recessisse praxin multorum locorum, & in §. 8. vel inventarium *vel juratam specificationem requirit.* In multis autem adhuc hodie locis, solam juratam specificationem non sufficere, sed expresse requiri inventarium, ex Constitutionibus atque Statutis jus civile approbantibus omnino appareat, quæ alleg. vid. ap. Stryk. U. M. ff. tit. de Jur. Delib. §. 2. Cautius itaque procedens non omittit, omnes res fideliter in inventario consignare, conficie id curat publica autoritate L. f. §. 2. Cod. de J. Delib. moribus heredes ad evitandam omnem sinistram suspicionem statim post mortem omnia bona judicialiter vel per Notarium obsignare non omittunt. Brunnem. add. L. fin. Cod. Carpz. p. 3. c. 33. d. 10. Omissa hac obsignatione heres onus subit inventarium jurejurando corroborandi, Mev. de specif. jurat. C. 2. §. 12. Rauchb. P. I. qu. 29. n. 14.

B

Non

Non etiam negligenda sunt ab heredibus in obſignatione, ſi in quibusdam locis ſpecialia de forma illius conſtituta ſunt, ſed caute illa obſervanda, Stryk. *ſupra cit. loc. §. 5.* omissa enim tali forma præscripta inventarii beneficium amittit heres, & æs alienum in ſolidum præſtare tenetur, ſecundum Stat. Hamb. *P. 3. tit. 3. art. 4. sq.* vid. Stryk. *l. c.* non parvum itaque ſuſtinet periculum omittens hæcce prædicta in inventarii confectione, nocet enim ſibi non ſolum in illo, quod ultra vires hereditatis creditoribus defuncti obligetur, ſed & confundi facit debitum & creditum, cum ut creditor, quod ſibi a defuncto debetur, petere non po- test. vid. Brunnem. *ad. L. fin. C. de Jure deliberand.* num. 35. plura de his habet Fuchs de invent. & Hahn de eadem materia.

§. V.

*Testatoris in
non obser-
vando omnes
ſolennitates.*

Hæc de heredibus; paucula quædam nunc monenda de *Testatore*, qui omittendo minimam ſolennitatem testamentariam, facit, videri ipsum intestatum deceſſiſſe. Noſtrum jam non eſt, omnia requiſita atque ſolemnitates testamentorum multis ac diſertis verbis recenſere, in eorum rationes atque funda-menta inquirere, ſed pauca quædam exempla illuſtrare atque probare nobis debent, omissionem et in testamentis faciendis in maximum aliquando tendere præjudicium; Quis enim negat? in testamento *extrajudiciali* in ſcriptis concepto non ſufficere ſolum adhibuiſſe omnia ſolennia, nec non ſubſcriptionem & ob-signatio-

signationem testium validum sustinere illud non posse, si in illo omissum sit, scripturam plene absolvare, vel si plane nihil scriptum habet, ut si testator cum testibus subscriptisset chartam blancam, licet intentio ejus fuisset, ut testamentum huic deinceps inscriberetur Chartæ L. II. ff. *de injust. rupt. & irrit.* Pariter in testamento *Judiciali*, quod à testatore scripturæ ac literarum plane ignaro judici offertur, non omittenda prælectio, hac enim neglecta nullius momenti est, licet ipse testator insinuationem fecerit, *ut firmiter deinde de certitudine constet, & testator audire posset, an & omnia secundum voluntatem suam consignata.* conf. Lauterb. *in Diff. de testament. Judic. th. 24. & 25.* Besold. *Conf. 203.* In testamento Coeci præter alia non omittendus testis octavus, secundum L. 8. Cod. *qui testament. facere possunt.* De nociva omissione institutionis liberorum Cajus *in L. 30. ff. de lib. & posthumis hæred. instit. his utitur verbis: inter cetera, quæ ad ordinanda testamenta necessario desiderantur, principale jus est, de liberis heredibus instituendis, vel exheredandis, ne præteritis istis rumpatur testamentum, namque filio, qui in potestate est præterito, inutile est testamentum.* Et omnino adhuc hodie liberorum institutio ad minimum *in legitima* non est omittenda, id quod præxi satis comprobatum. Carpz. P. 3. c. 9. def. 5. Berlich. P. 3. *Concl. 10.* aut si pater ex causa *in Nov. 115.* expressa liberos exheredaverit, non omittenda in testamento plana atque perspicua hujus causæ adjectio & determinatio. Materiam hancce exactis-

fime atque eruditissime pertractarunt instar omnium JCti Consummatissimi Ill. Dn. de Klein *in Tr. de cauto testatore*, ut & B. Stryk. *in Cautelis testament.* Ad quos B. L. remitto.

6. VI.

Insinuatio-
nis
in donatione.

Simile damnum accrescit ex omissione *donatio-*
rario, præsertim in excessiva donatione, si non cu-
ret, ut donatio aetis insinuetur, juxta §. 2. *J. de Do-*
nat. L. 34. C. Eod. non sufficit enim *Donatio* quo-
ad excessum, sed illud, quod ultra quingentos so-
lidos donatum, repetitur, si non judicialiter insi-
nuatum *Carpz. P. 2. C. 12. def. 12.* An autem huic
insinuationi possit renuntiari, nihilominus valida
manente donatione, non convenit inter DD. qui
partim putant, renunciationem solennium regula-
riter esse illicitam *arg. L. 38. ff. de Paß.* Alii com-
mendant remedia partibus, quæ non omnium no-
titiæ donationem exponere velint, ut nempe di-
versis temporibus donetur, singulis autem tempo-
ribus summa non excedens mille taleros, vel quin-
gentos solidos, & de qualibet donatione singulare
perficiatur instrumentum. *Molina. de J. P. Tr.*
2. Disp. 178. n. 18. Alii juramento huic insinuatio-
ni renuntiari posse statuunt. *Gail. l. 2. obs. 39. n. 12.*
qui autem stricte admodum *Jus Romanum* se-
quuntur, & secundum verba hujus *Juris* pronun-
tiant, omnino contrariam defendunt sententiam,
non valet enim *J. R. juramentum contra dispo-*
sitionem legis præstitum, L. non dubium 5. C. de LL.

Exce-

Exceptiones quædam donationum, quæ non indigent insinuatione, obviæ sunt in ipsis *titt. ff. &c.*

Cod. de Donat.

Consideremus adhuc paucis omissio-
nem nocivam *renuntiationis donatoris*, quod non
velit revocare donata, propter supervenientiam
liberorum, ad minimum quoad bona extra legi-
timam. *Donatarius enim*, si hac non utitur cau-
tela, multum subit periculi, amittendi iterum do-
nata, si enim, qui liberos non habet, alteri donet,
agnatione liberorum, totum, quicquid largitus fu-
it, revertitur in ejusdem *Donatoris arbitrium ac*
ditionem. *L. si unquam 8. C. de Revocand. Donat.*
Obstant quidem huic cautelæ opiniones JCtorum,
qui & talem renuntiationem plane non admittere
volunt. *Mynsing. Cent. 5. Obs. 63. Gail. lib. I. obs.*
40. n. 13. non autem iisdem assentimur, sed cum
omnes in eo conveniant, quod Pater, qui habet li-
beros jam natos, illos tamen non teneatur institue-
re, ultra legitimam, quid? cur non idem procedere
debeat in nascituris, si modo & illis legitima salva
conservetur *Carpz. P. z. C. 12. def. 33. n. 5.*

*Renunciat-
tionis,*

Porro cum in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrere debet utriusq; partis consensus, sic & in donatione, nisi animus utriusq; consentit, effectus cessat, juxta *L. 55. ff. de O. & A. Donatario* itaque bene observandum, ut non negligat acceptationem factæ donationis, citra hanc enim & *Donator ei non obligatur*, sed donatum illi iterum adimere atque revocare potest. *Carpzov. L. 5. Resp. 62. & in L. absenti 10. ff. de Donat. expressa*

*Acceptatio-
nis,*

B 3

hæc

hæc leguntur verba: *Si donatarius rem ipsi donatam non acceperit, donatæ rei dominus non fit.* Acceptationem hanc autem , si ipse non præsens , & à mandatario , vel literis fieri posse, nemo est, qui dubitat. Illustris Ludevigi equidem in *Diss. de donationibus* & adnexa acceptatione probare studuit ; *Jure Rom.* acceptationem non fuisse necessariam ; Verum constanti *Praxi in Germania* acceptatio requiritur, & Dn. Wernerus in *Diss. de acceptatione in Donat.* necessaria §. 6. sqq. nec non Dn. Gundlingius in *Gundlingianorum parte novissima* evicerunt, quod *J. R.* etiam necessaria semper omnino fuerit acceptatio. Casum, quando acceptatio hæcce sine damno donatarii omitti possit Vid. apud Hopp. in *Comm. ad §. 2. J. tit. de Donat.* in verbo : *Manifestaverit.* Remissio enim debiti in favorem liberationis subsistit , licet non sit acceptata. *L. 23. ff. de Solut. L. 47. ff. de O.* & A.

§. VII.

Liberorum in non re- quirendo consensum Parentum in nuptiis. Maxime porro sibi nocent *liberi*, omittendo requisitionem *Consensus Parentum* in contrahendis sponsalibus atque nuptiis , nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet , pr. *J. de Nupt.* sane Leges Romanæ in hoc passu multum continent rigoris , plane nulla enim omnia in jure dicuntur sponsalia contra *LL. inita* §. 12. *J. de Nupt.* *L. 2. ff. de R. N.* *L. 18.* *L. 20.* *L. 7.* & *12. Cod. de Nupt.* *L. 5.* *Cod. de LL.* *L. 4.* *Cod. de incest. Nupt.* & expressa sunt verba , nec vir , nec uxor , nec

nec matrimonium, nec dos intelligitur, imo liberi pro spuriis habentur. §. 12. J. de Nupt. exheredari poterant. L. 3. §. 5. ff. de bon. possess. contra Tabul. arg. Auth. Sed si post. C. de inoff. testament. tum demum exheredatio locum non habere dicitur, si filia post 25. annos, non consentiente Patre, se viro junxerit, ex quo sequitur, filiam ante hanc ætatem consensum Patris negligentem omnino exheredari potuisse: non contradicit Nov. 115. sed potius confirmatur hæc sententia c. 3. §. 11. vers. si vero. Præter exheredationem & subeunt periculum amittendi dotem, uti expresse Jus Civile multis in locis per singularia statuta confirmatum, sic, inter alia jura, & jus Borussiæ ejusmodi liberos negligentes consensum parentum, pro ratione circumstantiarum vel plane exheredari, vel à dote, dotalitio, donatione propter Nuptias &c. excludi jubet, his verbis: Sie entweder ganzlich, jedoch nach Gestalt und nach Gelegenheit der Sachen zu enterben, oder aber ihnen keine Ehesteuer, Heyrath-Gut, Wiederlage, oder sonst ichtswas zu geben schuldig seyn. vid. Dn. Conr. Phil. Hoffmanni diss. de jure parentum in liberos integratos propter neglectum in contrahendis N. consensum. p. 21. Nec non in ipsis terris patriis Mecklenburgicis nulla declarantur sponsalia, absque Parentum consensu inita, & jus civile in Ordinat, Mekl. Confistorial, tit. von Ehe-Gelübden ohne Verwaltung des Eltern, expressis confirmatur verbis: Nachdem das Götliche, natürliche und Kaiserliche

liche Rechte , auch die Vernunft- und Bürgerliche Ehrbarkeit und Exempel der Heil. Väter, bey welchen beyde Recht und Gewohnheit gewest, daß die Eltern ihre Kinder aus väterlicher Obrigkeit verehlicht haben , ausweisen , daß sich die Kinder mit ihrer Eltern Vorwissen und Bewilligung in den Heil. Ehe - Stand begeben solten , so sollen unsers Consistorii verordnete Commissarii alle Ehe = Verpflichtung und Verlobniss , da sich junge Leute einander ohne Vorbewust und Bewilligung ihrer Eltern versprochen haben , für unkräftig und unbündig erkennen . Eatenus quidem praxis hodierna recedit à Jure antiquo , ut non solum Patris , sed & Matris non negligendus sit consensus , ut non tam respiciatur ad patriam potestatem , qvæ apud Romanos immensa erat atque perennis , sed multo magis ad debitum reverentiale , non amplius parentes pro velle & nolle consensum liberis denegare possunt , sed rationes disensus allegare debent , alias consistorium hodie supplet consensum , uti hæc omnia ita in alleg. ordinat. *Consistor. Meckl. l. cit. claris verbis præscripta ; Solidissime etiam atque pro more suo exactissime excussa hæc omnia jam sunt à Consultissimo Dn. D. Westphalio Fautore atque Preceptore meo æstumatissimo in Specim. posit. J. R. diff. a. J. Germ. & Mecklenb. quam Dissert. sub Præsidio Viri Excellent. ipse ventilavi.*

§. VIII. Ad-

§. VIII.

Adhuc unicum tantum ex Jure Civili addo *Debitorum exemplum Omissionis nocivæ*, ut tempori inser-^{aliquid o-}
 viam. *Debitores* nempe omittentes aliquid, quod ^{mittentium in fraudem creditorum.}
 facere debebant, in jure intelliguntur, id fecisse
 in fraudem *Creditorum*, *juxta L. 4. ff. Quæ in fraud.*
creditor. Sic si litem mori patiantur, si ad judi-
 cium non adfuerint, vel res, vel jura competentia,
 præscriptione exspirare patiantur, aut usumfru-
 tūm vel servitutem amittant, *L. 3. ff. Eod.* in
 fraudem facere & alienare ipsi videntur: Hoc &
 de eo in jure dicitur, qui patitur usucapi. Eum
 quoque alienare, dicitur, qui omittendo usum
 amisit servitutis. *L. Alienationis 28. de V. S.* Agi-
 tata quidem est disceptatio inter DD. an & debi-
 tores *non acquirentes* alienare, & in fraudem fa-
 cere videantur? Affirm. Brunnem. in *Comment. ad L.*
6. ff. quæ in fraud. credit. n. 7. sq. Negat Berlich.
P. 2. Decis. 168. Nostrum non est, rationes ab
 utraque parte prolatas investigare, subscribimus
 verbis planis atque perspicuis ipsius Ulpiani, qui
 in *L. non fraudatur. 134. pr. de R. f.* ita loquitur:
Non fraudantur creditores, cum quid non acquiritur
a debitore, sed, cum quid de bonis diminuitur, & in
L. 6. §. 2. sq. ff. quæ in fraud. credit. idem Ulpia-
nus: Proinde & qui repudiavit hereditatem, vel le-
gitimam vel testamentariam, non est in ea causa, ut
hic Edicto locum faciat, noluit enim acquirere, non
suum patrimonium diminuit; quam rationem &

C

præmittit

præmittit Ulpianus in pr. d. L. 6. quæ in fraud.
credit.

CAP. III.

*Annectit Casus Omissionis nocivæ
ex Materia Processus, Jure Publi-
co, Feudali & Criminali.*

SUMMARIA.

*Ex ipso Processu desumuntur
exempla omissionis nocivæ tam à
parte actoris, quam rei & judicis.
§. 1. Remissio ad alia exempla, in-
tuitu personarum minus principali-
um in judiciis. §. 2. Exempla ex
Jure Publico. §. 3. Feudali §. 4.
Criminali & militari. §. 5. Con-
clusio. §. 6.*

§. I.

*Exempla
Omissionis
Nocivæ in-
tuitu perso-* **P**rogredimur jam ad materiam Processus. Multa
& innumerabilia quidem conscribi possent de
Omissione nociva in hac processus materia, nobis
pro

pro temporis, qua circumscribimur, angustia ^{narum principium in}
 sufficient tria exempla: Tres enim Principales in ^{cipalium in} judicis.
 judicio concurrunt regulariter Personæ, *Actor*,
Reus & *Judex*; De singulis unicum paucis admo-
 dum verbis perlustrabimus casum, qvomodo no-
 ceant sibi omittendo. Et primo *Actoris* vices su-
 stinens multum sibi nocet, *omittendo comparitionem* in ^{Autoris}
 termino citationis, non comparendo enim
 subit periculum contumacis, tam ante, quam post
 L. C. Priori casu ab instantia reus absolvitur, Dn.
 Brunn. *in Proc. Civ. c. 4. n. 3.* Carpz. *in Proc. Tit. 8.*
Art. 1. n. 1. actor restituiri expensas & interesse
 Brunn. *d. l.* Carpzov. *d. l. n. 17.* Posteriori casu,
 post Litem nempe contestatam, non tantum in-
 currit damnum, ut reus ab instantia, sed & ab
 ipsa actione instituta absolvatur, atque actori
 perpetuum imponatur silentium. Auth. *qui semel.*
C. quom. & quid. Jud. In expensas ad minimum
 semper condemnatur hoc casu *Aktor*: cum alias
 enim de justitia suæ causæ constet, novæ actio-
 nis institutio ipsi non deneganda. *L. properandum.*
13. §.2. Cod. de Judic. Confirmata hæcce invenimus
 in *Ordinatione judicii Provincial.* Mecklenb. tit. vom
 Ungehorsahm. ubi sequens poena imponitur
Aktori omittenti comparitionem: Welcher sich
 für Befestigung des Krieges ungehorsamlich er-
 zeiget, und aussen bleibt, der soll den anderen und
 gehorsahmen Theil die Expens. und Kosten dessel-
 ben Gerichts-Tages, wie die durch das Gericht

*Rei.**Judicis.*

taxirt, zu erstatten verfallen, und auf ferner Ansuchen, gebührlichen Vorstand de prosequenda lite zu thun, schuldig seyn. Et porro: Und zu mehrer Straff, wann der Kläger ungehorsamlich ausbleibt, soll der Beklagte auf sein Anrufen & citatione & termino præfixo, neben der Erstattung der Expens. absolvirt und erledigt werden. Hæc de Actore. Non minus sibi nocet Reus ad judicem incompetenter citatus, omittendo ante L. C. oppositionem Exceptionis Fori, cum videatur tacite prorogasse jurisdictionem. L. f. C. de Except. Zang. de Except. P. 2. c. 1. n. 3. Et de ipso Judice quid nunc dicendum? Si condemnet partem antea non citatam, aut decernat aliquid in causa, omissa citatione, actus ipso jure nullus fit. Coch. Prax. For. Germ. P. 4. c. 6. §. 6. In actibus, ex quibus nullum parti accrescere potest præjudicium, citationem quidem omitti posse, nemo est qui dubitat. vid. Stryk. introduct. ad praxin forensem c. 4. §. 7.

§. II.

Remissio ad exempla in nus principalibus judicium constituentibus, de Adsuitu perso-vocatis nempe & actuariis, earumque Omis-sarum mi-sione nociva, sed remittimus, B. L. ad tot erudita scripta de Judiciis & Officio judicis publice extantia, quæ alleg. vid. in Biblioth. Juris selecta incomparabilis Struvii p. 375. sqq. Unicum tantum tri-tum

tum quidem, sed diversimode à Doctoribus deci-
sum afferre liceat, intuitu Notarii, Invocationem
Nominis Divini in Instrumentis publicis, omittentis.
Apud Romanos hancce Omissionem vitiasse in-
strumenta, adeo ut omissio hujus invocationis
ipsas tabulas testamentarias & Codicillos
Contractuum omnes reddiderit nullos, docent ex
Historia, Sanctionibus Romanis & Glossa fuse Fa-
ber ad Prooem. f. n. 1. Bolognetus & Interpre-
tes plures ad d. Prooem. & ad L. 1. 2. Cod. de V. f.
E. L. 1. 2. C. de Offic. Præf. Præt. Afr. Nov. 17. pr.
Nov. 43. 47. Nov. 134. præcipue, quia Justinianus
hac invocatione ad Arrianos ab Orthodoxis &
Christianos à Paganis internoscendos serio re-
spexit. At vero cum Justinianus Notariis in in-
strumentis publicis hæc non præscripserit, nec
hoc citat. loc. & in tit. ff. & C. de fide instrumento-
rum speciatim, sed pietatem universim ante ocu-
los habuerit, prætereaque invocationis scopus,
quem ille intendit, per DEI gratiam hodie cesset,
multi sunt, qui in Praxi à Notariis hanc invocationem, citra nullitatis vitium, omitti posse, cen-
sent. vid. Harprecht. ad d. prooem. Illustr. Rhetz.
Meditat. Acad. ad Instit. Dissert. I. Posit. 3. At ve-
ro, ut omnes rixæ & altercationes evitentur, tuto
non solum adhibetur hæc invocatio, verum et
iam ut accidentale requisitum in Instrumentis
adhibenda est, propter Cæsaris Maximiliani, Im-
peratoris Germanici, Ordinationem Notariorum in

Coloniensibus Comitiis promulgatam anno 1512.
ibique §. Und nachdehim 3. sq. Consentunt no-
biscum Brunnem. *Exerc. justin.* I. n. 2. Joh. Sam.
Strykius. *ad pr. Instit.* quin etiamsi, hac invocatio-
ne omissa, instrumenta Notariorum &ceteroquin,
quoad substantialia valida & perfecta, valore suo
non destituerentur, uti rationibus & exemplis
docent Gudelinus. *jure noviss.* L. 4. c. II. Struvius
S. J. C. *Exerc. 28. de fide instrument.* §. 29. è re ta-
men esse merito concludit D. Hertelius *in praxi*
Institutionum p. 7. quod Notarii hodie tutius am-
bulent, si non omittant invocationem Numinis
Divini,

§. III.

*Exemplum
juris
Publici.*

Ex campo Juris Publici unum decerpere lu-
bet florem. Principes Imperii indubie gau-
dent Superioritate Territoriali, sed habet
Cæsar aliqua *Reservata*, ad quæ pertinet
jus *Vestigalia* vel *nova instituendi*, vel *vete-
ra augendi* prorogandive. R. J. *de anno 1576.* §. 118.
sq. ibi: auch das alles zu unserer Kaiserl. besondern
Hoheit und Reservaten. Neutiquam tamen in so-
la Imperatoria concessione, quod olim quidem
fieri poterat, vid. Horn *in J. Publ.* c. 43. §. 1. hic
acquiescendum, nam præter hanc *omnium & singulo-
rum Electorum consensu unanimi* opus est, & quidem
in Collegiali conventu declarando, per *Capit. Invictissimi CAROLI VI.* art. 8. ibi: Mit aller und je-
der

der Chur Fürsten Wissen und Willen, Zulassen und Collegial - Raht, durch einhelligen Schluß, daß keines Chur Fürstens Wiederrede oder Dissens dagegen, und dergestalt alle und jede in Dero Collegial - Stimmen einmütig seyn, massen diffalß die *Majora* nicht zu attendiren, und ohne die unanimia nichts zum Stande zu bringen &c. & porro: Sondern dieselben schlechterdings einer Collegial-Versammlung der Chur Fürsten zu erwarten &c. Rationem, cur hæc res, per nuntium vel literas minime expedienda, Horn. d. cap. §. 2. ad Conventum Collegii Electoralis, (cui præter literam Capitul. Josephinæ art. 20. in verbis: Aller und jeder NB. sieben Chur-Fürsten. post plenariam readmissionem Regis Bohemiæ ad negotia universa Imperii, de qualegi meretur Hertii *Dissertatio de Renovato Romano Germ. Imperii & Regni Bohemiæ nexu* Sect. 4. jung. Fabri Staat s-Canzelery P. 13. cap. 9. & expeditum Noni Electoratus negotium, vid. Faber d. l; hi ambo hodie quoque necessario intererunt,) præcise differenda sit? suppeditat Limn. ad Capit. Ferdin. III. art. 7. Neque vero, si *Imperator & universum Collegium Electorale consentiant* in vectigal, sive instituendum, sive augendum, rem absolutam esse, probare notandum, cum & *Vicinos*, eosque, quorum ulla ratione, ne instituatur, neve augeatur, interesse posterat,

terat, antecedenter audivisse, solenniter cautum sit, vid. Capit. Josephi d. art. 20. per verba: und de-
ro erforderetes, auch in gebührende consideration ziehendes **Gesichtachten** vorhero darüber ver-
nommen: Quibus Capitulatio Novissima art. 8. ulte-
rius jungit requirendum Circuli, in quo Vectigal
erigendum erat, votum, ibi: Sondern auch die in-
teressirte, benachbahrte, und derjenige Kranß,
in welchem der neue Zoll aufgerichtet. &c.
idque occasione in Comitiis Ratisbonensibus huc-
usque agitatæ Formulæ Capitulationis Perpetuæ,
cui hac in parte ansam forte dederunt Circuli
Saxonici Inferioris motus, conatibus Regis Daniæ,
Novum Vectigal Glückstadii imponendum quæ-
rentis, anno 1676. excitati. Quod si itaque Impe-
trans supra recensitorum vel minimum saltem
neglexerit, illius *omissio* vel maxime eidem erit
nociva, quippe cum unicuique liberum sit, ejus-
modi impositioni *via facti*, regulariter in Imper-
rio non permitta, Instr. Pac. Osnabr. art. 17. §. 7.
omni meliori modo occurrere, vid. Capit. Caroline
sæpe citatus art. 8. in verbis: Und solle daneben
einem jeden &c. & Mandata sine Clausula, hoc casu
non deneganda, in auxilium vocare. d. art. 8. & art.
20. in f. Capitul. Josephine. Myler ab Ehrenbach de
Principibus & Statibus J. R. G. P. 2. c. 64. §. 4. Et
ita de Jure Publico Imperiali.

Quid de Jure Publico Territoriali, docent
Fritschius de Regali viarum publicarum jure C. 8.

Knip-

Knipschild de jur. Civ. Imp. L. 2. c. 18. Quod vero & Principes Imperii in legibus à se latis, sive Provincialibus, vel indigeant, vel utilitatis causa opus habeant consensu & privilegio Cæsaris speciali, id ipsis principiis juris Publici Imperialis, nec non Superioritati Territoriali, & Potestati Legislatoriae Principum è diametro contrariatur, quod ex instituto evincunt Thomas, in Diss. de Principum Potestate legislatoria ferendi LL. aduersus jus commune §. 15. Eibenius Diss. de Regula: Principes in territorio tantum possunt, quantum potest Imperator in Imperio, inter opuscula p. 751. Mauritius diss. de recess. imp. Th. 4. Lynker. de stat. Civit. provinc. P. I. Th. 13. Titius Jurispr. R. Germanica. L. I. c. 3. §. 63. 64. sqq.

§. IV.

Ex jure feudali pertinet huc instar plurium, *Juris Feudalis.*
si quis omiserit petitionem renovandæ investiturae. Jure enim Feudali Longobardico s. Communi caustum est, ut Vasallus, si intra annum & Diem a facta mutatione Domini vel Vasalli renovationem non petierit, feudo privetur ipse non solum, sed & preventur liberi 2. F. 24. pr. 2. F. 31. Ingens est disputatio de hoc tempore, cum alii ob. I. Feud. 22, annum & mensem requirant, alii vero inter militarem vasallum & paganum vasallum distinguant,

D

guant,

guant, Alii rursus velint, Diem illum anno adjectum esse relaxationis ergo, eoque non unicum diem, sed mensem intelligi debere. Allegatum hic esse quemque volumus ad Ericum Mauritium *Decad.* XI. *Jur. Feud. Pos.* I. & Horn. *in jurisprud. Feud.* *Longobard.* *Teuton.* c. 17. §. 14. id tantum monentes, quod justæ hujus omissionis, admittantur excusationes Stryk. *Exam. J. F.* c. 17. qv. 16. Hodie merito distinguendum inter *feuda immediata*, *Reichs-Lehn*, vel *mediata s. provincialia Landschafts-Lehn*, quorum illa nexum inter Cæsarem & Principes ac Imperium, *hæc vero* nexum inter Principes & Vasallos inferunt. De *provincialibus dispositionem* juris Longobardici non cessare, dicendum, nisi aliud observantia introductum, patetis dispositum. vel ex indole feudi aliud appareat, ut pluribus probant D. Hanaccius, Ictus Wittebergensis, de eis quod refert feudum esse datum vel oblatum. §. 15. D. Hertius, Struvius & Thomasius in doctissimis disputationibus de *feudis oblatis*. Quid in *feudis Immediatis?* cum Principes Imperii magnam partem non ex beneficio Cæsar is, sed jure originali Regiones suas possideant, easque non nisi titulo oblationis ab Imperatore receperint in clientelam, Legi de hoc merentur Itter. de *feud.* Imp. c. I. §. 12. Struv. Synt. jur. *feud.* c. X. aph. 9. Plura restant hujus generis exempla, sed remittimus Lectorem ad B, Stryk. *Ex. jur. Feud.* c. 23. §. 34. sq. ubi recenset casus

casus Omissionis nocivæ in feudis. Legi etiam potest
Itter de *feud.* imp. c. 24. §. 3. p. 1005. sq.

§. V.

Ex Jure *Criminali*, quod recte Ill. D. Hoffmannus in prænotionibus de *Jurispr. criminal. Germanica*, crudelissimam quidem, sed nobilissimam Jurisprudentiæ partem vocat, afferre placet *Omissionem* *nocivam* *investigationis corporis Delicti* & *vulneris Lethalitatis*, nec non *neglectæ* à *consciis criminis Læse Majestatis* *manifestationis*. Investigatione corporis delicti omissa totus processus nullus est, nam de forma essentiali processus inquisitorii omnino est investigatione corporis delicti, uti patet ex *Constit. Criminal. art. 6.* & late docet Oldekoppius in *Obs. pract. crim. Tit. 3. Obs. 8.* Certe omissione hujus investigationis adeo inconsulta est, ut cadaver sepultum effodiendum sit, & *vulnus ejusque lethalitas* considerari debeat, uti Responsis & præjudiciis docent Beyer, *Delin. Jur. civil. tit. ad L. Corn. de Sicar. num. 5. lit. 'n.* Heilius in *Judice & Defensore in processu inquisitorio* C. I. §. 3. - 9. Grantzius in *Defens. inquisit. l. 6. membr. 2.* Hertius *Dissert. de Inspect. Oculari* §. 16. 17. Rite ergo cada ver occisum est inspiciendum, & adhibitis rerum peritis *lethalitas vulneris* est investiganda, deficiente enim hac, vel recognitione vulneris omissa, vel non debito modo facta, non agi potest ad pœnam ordinariam capitalem, & expresse recognitio

D 2

vulnerum

*Criminalis
atque Militaris.*

Vulnerum sancta est, in *Constit. Criminal. art. 147. 148.*
149. Plura hac de re legi possunt, apud interpretes
horum articulorum, & ex professo hac de re nu-
perrime egit Excell. Dn. Sibrandus *Antecessor hujus*
Academie famigeratissimus, nunc *Supremi Tribunalis*
Wismariensis Vocatus Assessore dignissimus in Disp. de Ne-
cessaria vulnerum Inspectione in Crimine Homicidii.
Quod Crimen Læse Majestatis attinet, omnibus no-
tum, gravissimam in *L. s. C. ad L. Jul. Maj. &c in*
A. B. c. 24. §. 7. statutam esse poenam, & in con-
scios hujus criminis, qui non revelant il-
lum, qui tale aliquid machinatur. vid. Casp.
Ziegler. *de jure Majestatis L. 1. c. 2. §. 46. 47.* Con-
feratur quod de hac re differit ex *historia, & ex a-*
minat eruditissime Dn. Leyser. diff. de ministro
Principis delinquente. Exemplum Criminis Læse Ma-
jestatis divinæ addo, ubi illos, qui blasphemiam pro-
latam audiunt, & non detegunt, ac Magistratus,
qui eandem non puniunt, haud levem incurrere
poenam intelligimus ex *Recessu Imperii de anno*
1512. P. r. §. 4. sq. Reform. Politica de anno 1530. tit.
I. §. 3. sqq. Denique paucula quædam annecti-
mus ex *jure militari*, quod inter cives sagatos ob-
tinet, & rigore suo jus criminale commune sæ-
pe vincit. Beyer *introd. in jus milit. c. I.* Expe-
ditum enim est in eo Jure, quod Duces bellici,
vel etiam milites gregarii, ob' non rite observa-
tum in prælio vel in defensione urbis officium,
gravi

gravi poena afficiantur, adeoque non solum propter *actionem*, sed & propter *Omissionem actionis* ipsis imperatæ puniantur. Ita etiam iis, qui *Desertores* Militiæ ipsis notos *non manifestantur*, multam quadraginta imperialium dictitari, aut, ut ipsi castra sequantur, injungi, legimus in Mandato Regio. Sereniss. Elect. Sax. de anno 1700. Quid? quod Edictum Augustissimi Regis Polon. de anno 1712. iis dictitat gravem poenam, qui *duella* & vindictam privatam, *injurias atrociiores reales*, vel ipsas provocationes *judici non retulerunt*. In quo momento conspirat Mandatum Duelliticum Mecklenburgense.

§. VI.

Hæc sunt, Benevole Lector, qvæ in præ- Conclusio-
fenti de *Omissione Nociva loco Speciminis Inaugura- lis* & per Theses quasdam proponere volui,
Plura facillime adduci potuissent exempla ex in- numerabilibus in Jure occurrentibus *Omissionibus nocivis*, si me brevitas temporis & aliæ cir- cumstantiæ non impedivissent. Hisce ergo con- tentus quæso esto, &, si præter spem minus ac- curate posita existimas, ea benigne corrige, me meliora edictum quocunque tempore ad omnia emendanda promptum atque paratum invenies.
Invidis autem censoribus, etiamsi perfectissimum
con-

conscriptissim tractatum , placere non potero ;
nec volo , ut placeam , multo magis gratulor
mihi cum Clar. Buchnero de invidia , & mise-
rum puto, cui nemo invidet ; nam sic Plautinus :

Qui invident, egent, illi, quibus invidetur, rem habent.

DEO autem T. O. M. immortales persolvo
gratias pro immensis ejus in me collatis benefi-
ciis, ac me meaque studia gratiae ipsius in fu-
turum quoque commendo. Ei soli
Eiusque Nomi sit

L. H. & G.



